



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Episcopo, T. Archidiaconi, & Scholastico Tornacensi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20020

olim ad eandem Ecclesiam à parochianis ipsius, qui quasi possessionem juris patronatus habebant in ea, Giliberto quondam Abbatii præfati monasterij fueris presentatus, & sine contradictione cuiuslibet institutus, postmodum codem viam universitatem ingresso, successor ejusdem tibi super Ecclesia memorata mouere quæstionem incepit, sed ab ejus impetu sententialiter absolutus per Episcopum Trajectensem, ad majorem cautelam per eundem tuum adverarium in prædictæ possessionem Ecclesie corporaliter es inductus. Vnde postulabas à nobis ut super ea ipso tuo adverario silentium imponere dignaremur, quam à suis prædecessoribus legitimè fueras asseditus. Verum cum præfatus auditor hac & alia quæ coram eo partes proponere voluerunt nobis fideliter retulisset, & quæ utrinque probata fuerant intimasset, nos tibi adjudicare curavimus Ecclesiam sacerdotiam, super ea perpetuum silentium tuo adversario imponentes. Nulli ergo &c. nostræ diffinitionis &c. Si quis autem &c. Datum Laterani 14. Idus Februarij, anno decimo.

EPISCOPO, T. ARCHIDIACONO,
& Scholastico Tornacensi.

Epiſt. 208.
Quod inqui-
rant contra
Episcopum
Traiectensem.

LIcet Trajectensis Episcopus coram venerabili fratre nostro Hostiensi Episcopo & dilecto filio Leone tituli sanctæ crucis Presbytero Cardinale apostolice sedis Legatis & magnatibus pluribus, quod non pervenerat ad eundem excommunicationis sententia qua ipsum fecimus innodari, nec contra sedem apostolicam cum quibusdam Clericis conjunctionem inierat, se nisus fuerit multiplicitate excusare, frustra tamen juxta Salomonis sententiam jacit rete ante oculos pennatum. Verum quia idem nobis humiliter supplicavit ut ipsi beneficium absolutionis faceremus impendi, quod humiliter postulanti non debet aliquatenus denegari, discretioni vestra per apostolica scripta districte præcipiendo mandamus quatenus ab eo in publicum juratoria cautione recepta quod sine conditione aliqua & tenore parebit apostolice sedis mandatis, ipsi ablutionis beneficium impendere procuretis, post hæc monentes eundem attentius & efficaciter inducentes ut Parent. & P. de Cicc. civibus Romanis, Alex. & Accat. mercatoribus Senenibus, vel iplorum nuntiis, de pecunia quam eisdem tenetur exolvere, sicut continetur in authenticis instrumentis, satisfacere stu-

deat usuris cessantibus vel componere cum eisdem; & si necesse fuerit, ipsum ad hoc tam per vim juramenti quam per censu ram ecclesiasticam appellazione postposita compellatis. Vos autem utrum ad eundem Episcopum venerit notitia excommunicationis prolatæ in ipsum, vel quod pervernerit fama publica protestetur, seu etiam celebraverit postquam pervenit ad eum quod vinculo erat excommunicationis affectus, aut contra sedem apostolicam cum aliquibus conjuraret, per juramenta dilectorum filiorum N. sancti Pauli, Corr. de Staur. & N. de Ostbruc Abbatum, & R. sanctæ Mariæ, W. S. Petri, & Otc. sancti Bonifacij Præpositorum, & aliorum, inquiratis diligenter veritatem, & quæ super iis inveneritis, fideliter redacta in scriptis sub sigillis vestris ad nostram præsentiam transmittatis. Quod si non omnes &c. tu frater Episcope &c. Datum Late rani 14. Idus Februarij, anno decimo.

ILLVSTRI REGINÆ MARIE.

Quanto ferventius viri tui profectum diligis & honorem, tanto propensius ad ea semper agenda debes ipsum inducere quæ Deo ac nobis debeant complacere, ab illis penitus abstinentio quæ divinam & nostram meritò provocarent offendam. Ipse vero, sicut catholicus Princeps, quædam nobis nuperim litteras devotiones plenas & discretione non vacuas destinavit, implorans ut postulationem de Waldemaro Episcopo Slevisensi à Bremensi Capitulo factam admittere dignaremur, ipsumque ad Bremensem metropolim promovere. Nobis igitur super hoc deliberare volentibus.. nuntius dilectorum filiorum Præpositi, Decani, & Capituli Hammeburgensis adveniens, eorundem nobis litteras presentavit, per quas nostro apostolatu nuntiarunt quod cum olim Hammeburgensis Ecclesia metropolitica, Bremensis autem episcopali dignitate gauderet, eadem fuerunt Ecclesiae auctoritate sedis apostolice cuncta, ac extunc usque ad hæc tempora Ecclesiae utriusque Canonici Bremensem Archiepiscopum pariter elegerunt. Vnde quia nuper Præpositus, Decanus, & Capitulum Bremense tam ipsis quam quibusdam religiosis viris, qui electioni debuerant interesse, penitus inconsultis, memoratum Episcopum in Archiepiscopum postularant, an nobis sollicitè pertinerunt ut quod circa postulationem eandem ab illis fuerat in eorum præjudicium attentatum, in statum debitum re-

Epiſt. 209.
Adversus Epis-
copum Slevi-
vicensis.
Vide infra epif.
217. lib. 12. epif.
63. lib. 13. epif.
158. lib. 13. epif.
3. & Arnold.
Lubet. lib. 7.
6. 12. 13.